

## TITULUS XXII.

## De Fide instrumentorum.

1. *Ratio continuationis rubricarum. Scriptura jvat ad probationem actus, licet ad ejus substantiam non semper requiratur.* — Viso in præcedentibus duobus titulis de prima specie probationis, quæ fit per testes, sequitur nunc de altera, quæ fit per instrumenta. Et merito: nam probatio facilius, et securius fit per scripturam, licet hæc ad substantiam actus non semper requiratur, l. *Contrahitur. ff. de Pignori. ibi*: « Fiunt enim de his scripturæ, ut quod actum est per eas facilius probari possit: et sine his autem valet, quod actum est, si habeat probationem.

## § I.

## DE INSTRUMENTORUM NATURA ET DIVISIONE, AC DE INSTRUMENTO PUBLICO.

2. *Instrumentorum nomine, large loquendo, ea omnia accipiuntur, quibus causa instrui potest. Etiam testes.* — Queritur I. Quid, et quotuplex sit instrumentum? Resp. I. Large et generaliter loquendo. *Instrumentorum* nomine non tantum comprehenduntur scripturæ, sed etiam testes, horumque testimonia; imo et omnis alia probatio, per quam causa, et notitia judicis instrui potest. Et in hoc largiori sensu intelligendum est illud, quod habetur c. *Pervenit ad audientiam. 4. de Testib. cogend.* ibi: « Nemo debet adversario instrumenta, quorum appellatione testes continentur, subtrahere. » Item illud, quod l. I. ff. h. t. habetur, illis verbis: « Instrumentorum nomine ea omnia accipienda sunt, quibus causa instrui potest; et ideo tam testimonia, quam personæ instrumentorum loco habentur. » Quod esse accipiendum in largiori significatione, jam dictum est superius tit. præc. §. 1. n. 14.

3. *Instrumentum largissime acceptum, comprehendit etiam utensilia domus.* — Tacetur illa largissima acceptio instrumenti, qua illud sub se comprehendit etiam utensilia, per quæ domus, vel fundus instruitur. In quo sensu de instrumentis fit mentio l. I. et l. *Instrumenta.* ac seqq. ff. *de Fundo instructo, etc.* et l. I. et l. *Instrumenti.* ac seqq. ff.

*de Supellect. legat. et c. Significasti. 18. § fin. de Homicid.* ibi: « Ratione instrumenti, cum quo ipse percussit. » et alibi. Verum de instrumento sic largissime sumpto impræsentiarum non est sermo.

4. *Instrumentum stricte, quid?* — Resp. II. Instrumentum stricte acceptum, seu quantum attinet ad rubricam præsentis tituli, idem est, ac scriptura quæ fit ad probationem alicujus rei in futurum faciendam. Ita Abbas ad rubric. h. t. et alii passim. Ratio patet ex ipsa diversitate titularum; nam si hic appellatione *Instrumentorum*, etiam testes veniant, non debuisset nunc poni rubrica specialis, sed simul de utrisque agendum fuisset. Atque de instrumentis in hac postrema acceptione loquendo.

5. *Instrumentum aliud est publicum, aliud privatum.* — Resp. III. Instrumentum aliud est publicum, aliud privatum: atque de utroque in præsentis titulo tractatur uti patet ex c. *Scripta vero 2. et c. Imputari. 13. et c. Si cautio. 14. h. t. cum similibus.* Porro.

6. *Instrumentum publicum generatim, quid, et quæ ejus species?* — « Instrumentum publicum » generatim dicitur omne illud, quod publicam habet auctoritatem. Speculator tit. *de Editione instrumentorum. § Nunc dicendum. n. 1. et seqq.* ubi plures instrumenti publici species enumerat, videlicet, instrumentum manu publica, seu publici notarii confectum, de quo mox plura. Deinde instrumentum authentico sigillo episcopi, capituli, vel principis, aut magistratus secularis munitum in rebus ad suum officium spectantibus, cap. II. juncta Glossa §. *Sigillum.* h. t. quamvis idem Speculator n. 2. notet, tale instrumentum potius dici authenticum quam publicum. *Tertio*, instrumentum publicum censetur illud, quod est auctoritate judicis exemplatum: cap. penult. et ult. h. t. et cap. I. ac seqq. *de Confirmat. util. et l. Publicati. c. de Testament. cum similibus;* atque infra § 2. n. 43. 48. et seqq. amplius dicitur. *Quarto*, instrumentum dicitur publicum, quod in judicio scribitur apud æta publica: ut c. *Quoniam contra de Probation. et l. ult. c. de Re judicat. Quinto*, instrumentum dicitur publicum, quod de archivio publico producitur, arg. can. *Pervenit. 30. q. 1. et c. Ad audientiam. 13. de Præscript. et Auth. Ad hæc de iis. c. de Fide instrument. Addit Speculator loc. cit. n. 3. atque Mascardus de Probat. quæst. 6. proœru. n. 73. post Innocentium*

## § I. DE INSTRUMENTORUM NATURA ET DIVISIONE, ETC.

cap. I. h. t. quod generaliter instrumentum publicum, sive publica scriptura, vel authentica dicatur illa, cui de jure, vel speciali consuetudine creditur. Verum istud duntaxat procedit sumendo instrumentum publicum pro authentico: alioquin vero plura dari instrumenta authentica privata, seu non publica, patebit ex dicendis infra § 5. n. 143. et seqq.

7. *Instrumentum publicum specialius loquendo, quod?* — Additur notanter, « Instrumentum publicum generatim, » etc. Nam magis communiter, et specialius loquendo, « Instrumentum publicum » appellatur scriptura illa, quæ per manum publicam, sive a publico notario, legitime, et cum debitis solemnitatibus confecta est. Textus est in cap. II. juncta Glossa, et doctoribus ibid. h. t. et Auth. *de Instrumentorum cautelis, et fide. § Sed etsi. collat. 6.* Atque in hac ultima potissimum acceptione de instrumento publico præsentis paragrafo dicitur.

8. *Notarius quis? Vocatur etiam tabellio, scriiniarius.* — Solum nota, quod « notarius » (qui cit. cap. II. h. t. intelligitur per « Manum publicam, » ut explicat Glossa ibid. §. *Per manum*) aliud non sit, quam persona publica a principe deputata, et sacramento abstricta, ut rationes, et acta in formam publicam redigat. Et hic tunc nomine in jure appellatur *tabellio*: uti nominatur cap. penult. h. t. et Auth. *de Tabellionibus. collat. 4. per totum.* Item scriiniarius, prout nominatur c. *Ad audientiam. 13. de Præscript. et notat Glossa ibid. §. Scriiniarius.* Dicitur etiam servus publicus, l. II. ff. *Rem pupilli solvam fore,* juncta Glossa §. *Publicum*: quia videlicet est persona publica, cujus officium est inventum ad publicam utilitatem.

9. *Instrumentum privatum, quid?* — « Instrumentum privatum » econtra vocatur illa scriptura, quæ fit a privatis personis: et plerumque contra scribentem tantum, rarius autem pro ipso fidem facit. Et hujusmodi instrumentum privatum, seu privata scriptura ad tres species reducitur: quarum prima vocatur *Apocha*, quæ datur a parte parti; atque alio nomine appellatur *chirographum*, et complectitur sub se antapocham, et syngrapham. Secunda dicitur *Liber rationum*: et tertia *Epistole*: de quibus, earumque fide, quam faciunt, singillatim plura inferius § 5. 6. et 7.

10 et 11. *Differentia inter instrumenta publica et privata. Instrumentum publicum in*

*prima figura quod? Probat plene etiam absque aliis adminiculis. Nisi quis possit illud arguere de falso.* — Solum nota cum Glossa in cap. II. §. *Authenticæ.* h. t. communiter recepta, notabilem differentiam inter instrumenta publica, et privata. Siquidem instrumenta publica perpetuam habent firmitatem ad damnum et commodum utriusque partis: ut cit. cap. II. h. t. et can. *Si quis de clericis. 12. q. 2. et c. « Cum pridem. de Pactis, » cum similibus.* Et hinc instrumentum publicum, seu manu publici notarii confectum, si fuerit in prima figura (hoc est, non cancellatum, non abolitum, non vitiatum, sed absque omni vituperatione; ut explicatur l. ult. c. *de Edicto. divi Hadriani tollend.*) plene probat, etiam absque aliis adminiculis; prout habetur cit. l. ult. et d. cap. II. h. t. ubi scripta per manum publicam facta plenæ firmitatis robor habere noscuntur, etiamsi testes inscripti jam decesserint.

Intellige, dummodo is, contra quem ejusmodi instrumentum manu notarii confectum est, non possit illud arguere de falso: puta, probando, quod ille non fuerit legitimus notarius, vel quod in confectione illius instrumenti crimen falsi commiserit. Hoc tamen asserenti, incumbit defectus ejusmodi probandus: nam instrumentum præsumitur verum, validum et solemne, donec probetur contrarium, arg. l. *Cum precibus. c. de Probat. Baldus c. Illud. n. 7. de Præscript. Mascardus de Probat. concl. 907. n. 1. et seqq. citans alios.*

12. *Instrumenta privata regulariter valent in præjudicium scribentium, non vero ad eorum commodum, nisi aliis adminiculis adjuventur.* — Econtra vero instrumenta privata valent quidem regulariter in præjudicium illorum, qui ea scripserunt, l. *Generaliter. ff. de non numerat. pecun. et l. Publica Mævia. § fin. Depositi.* Ad commodum vero eorum non valent, nisi aliis adminiculis adjuventur. l. *Instrumenta. et l. Rationes. et l. Exemplo. c. de Probation. atque amplius declarabitur, simul et limitabitur infra § 6. per totum.*

13. *Instrumentum authenticum, et non authenticum, quid?* — Resp. IV. Ulterius instrumenta alia sunt authentica, alia non. « Instrumentum authenticum, seu scriptura authentica » dicitur, quæ per se fidem facit: sive id contingat ob interventum publici notarii, sive ex oppositione sigilli authenticæ, sive alio modo; ita quod ad sui validitatem non requirat aliud adminiculum. Unde voca-



tur *authenticum*, quasi ex se auctoritatem habens, ut inquit Abbas cap. 1. n. 2. h. t. Econtra « instrumentum non authenticum » dicitur, quod ex se, ac seclusis aliis adminiculis non facit fidem, plenamque probationem. Occasione ejus :

14. *Inter instrumentum publicum et authenticum an sit differentia? Differunt tanquam superius et inferius.* — Quæritur II. An sit differentia inter instrumentum publicum et authenticum? Resp. I. Etsi inter instrumentum publicum, et authenticum, possit notari aliqua differentia, in effectu tamen parum interest; ac frequenter publica et authentica instrumenta, sumuntur pro synonymis. Ita Abbas in cit. cap. 1. n. 2. h. t. dicens, quod « omnis scriptura publica est authentica : sed non omnis authentica, est publica : habent enim se, ut superius et inferius. » Hæc ille. Id ipsum tradit Innocentius in c. *Scripta vero*. 2. n. 1. h. t. asserens, quod omnia scripta publica possint dici authentica, sed non econtra; quia « se habent ut excedentia, et excessa. » Baldus ibid. n. 8.; Engel h. t., n. 2; Sannig eod. cap. II, n. 1. et alii. Ratio prioris partis est: quia magis communiter per « instrumentum publicum, » intelligitur illa scriptura, quæ confecta fuit a publica persona, scilicet a notario cum solemnitatibus a jure requisitis. Econtra vero per « instrumenta authentica » intelliguntur ea, quæ ex se fidem faciunt: sive ex appositione sigilli authentici, puta episcopi, vel principis sæcularis, cui creditur de consuetudine: sive alio modo, ita ut ad sui validitatem non requiratur aliud adminiculum. Unde patet, quod differat velut excedens et excessum, seu tanquam superius et inferius; atque instrumentum publicum sit etiam authenticum, sed non econtra omne authenticum sit publicum.

15. *Scriptura authentica magis patet, quam publica.* — Accedit, quod scripturæ illæ, quæ originaliter sunt privatæ, pluribus modis possint roborari; ita ut recipiant authenticationem, atque authentica evadant, plenamque fidem faciant, sicut scriptura publica: et consequenter scriptura authentica magis patet, quam scriptura publica. Antecedens probatur inductione. Sic enim scriptura, cæteroque privata, seu non confecta manu publici notarii, dicitur authentica, quando ipsi appositum est sigillum authenticum; puta, episcopi, capituli, vel alicujus principis sæcularis cap. II. juncta Glossa §. *Sigillum*

h. t. Item, quando habet trium testium viventium subscriptionem, l. *Scripturas*. § fin. c. « Qui potiores in pignore, » etc. Insuper scriptura privata, redditur authentica per subscriptionem ambarum partium; ut fit in contractibus, aliisque scripturis facientibus pro utraque parte: imo et per subscriptionem alius solius partis, contra quam facit; ut in donatione, deposito, ac hujusmodi, l. *In donationibus*. c. de *Donation.*; Joan. Andreas in *Addit. magna ad Speculatorem*, tit. de *Instrumentorum editione*. § 7. *Nunc dicendum*. vers. « Tertium supplementum. » Tacentur nunc alii modi, quibus scripturæ privatæ authentizantur, atque infra § 5. n. 143. et seqq. ex professo declarabuntur.

16. *Instrumentum publicum et authenticum, frequenter sumuntur pro synonymis.* — Altera pars datæ conclusionis, scilicet, in effectu parum interesse inter instrumentum publicum et authenticum, ex eo patet: quia hoc ipso, quod instrumentum authenticum ex se fidem faciat, jam illud perpetuæ firmitatis est, fidemque meretur omnium; non obstante, quod a publico notario cum requisitis solemnitatibus confectum non fuerit. Atque ideo Speulator tit. de *Instrument. editione*. § *Nunc dicendum*. n. 1. pro eodem accipit « instrumentum publicum, seu authenticum: » ac frequenter hæc duo accipi pro synonymis, fatetur etiam Pax Jordanus tom. III. tit. de *Fide instrument.* n. 5 ac 13. Et quia hæc videtur esse quæstio de nomine, non expedit eidem diutius immorari.

17. *Ad instrumentum publicum, quæ solemnitates requirantur?* — Quæritur III. Quæ solemnitates requirantur ad Instrumentum publicum? Resp. I. Loquendo de instrumento publico specialius accepto, seu manu publici notarii confecto, plures solemnitates de jure, vel consuetudine, ad illud requiruntur. Ita Speculator cit. tit. de *Instrumentorum editione*. § 1. n. 1. et seqq. Abbas cap. 1. n. 3. h. t.; Mascardus de *Probat.* quæst. 6, præem. n. 80. et seqq.; Covarruvias *Pract. Quæst.* cap. xx. n. 1. et seqq.; Engel. h. t. sect. 1. et communis. Idque probatur inductione, declarando singulas solemnitates, quæ in eo adhibendæ sunt.

18, 19, 20 et 21. *Debet illud continere invocationem divini nominis, ac in eo apponi annus Dominicæ incarnationis. Item mensis et dies anni, atque indictio.* — Et primo quidem oportet instrumentum publicum contineat invocationem divini nominis, per ly, « In

nomine Domini, Amen; In nomine sanctissimæ et individuæ Trinitatis. » Atque hæc solemnitas desumitur ex can. *In Nomine Domini*. dist. 23. et can. *In Nomine Patris*. dist. 73. ubi pontifex in publico instrumento legitur usus tali invocatione divini nominis: juncta Auth. *Ut præponatur nomen Imperatoris documentis*. collat. 5. ibi: « Auctore Deo: » et id ipsum probat consuetudo, quæ viget hodie, sicque est observanda. Quanquam solemnitas hujus omissio, veluti levis, non vitiet instrumentum: unde et in juribus allegatis ipsa quidem adhibetur, non tamen fieri præcipitur. Covarruvias loc. cit. n. 1; Mascardus n. 81. allegans communem: etsi ratione receptæ consuetudinis contrarium sentire videatur Abbas, ubi supra, n. 3. citans quosdam alios.

Deinde ad instrumentum publicum requiritur, ut apponatur annus Dominicæ incarnationis. Ita Glossa in cit. Auth. *Ut præponatur nomen imperatoris*. §. *Auctore*. et alia Glossa c. *Inter dilectos*. §. *Indictionis*. h. t.; Abbas loc. cit. Mascardus n. 82; Covarruvias d. c. xx. n. 2, allegans alios. Quamvis enim hæc solemnitas jure non requiratur, nec probetur (nam in cit. can. *In nomine Domini*. dist. 23. et can. *In nomine Patris*. dist. 73. hoc quidem observatur, non tamen mandatur, ut ita fiat) nihilominus ipsa de consuetudine est inducta; adeo, ut ea omissa instrumentum sit nullum. Neque enim negari potest, mentionem annorum Domini esse maximi momenti, ut constet quo tempore sit confecta scriptura; cum alioquin maxima posset contingere incertitudo cujuslibet negotii, seu juris per instrumentum probandi: simulque ad invalidandum instrumentum sufficiat omissio solemnitatis consuetudine tantum inductæ, modo ea cæteroque non sit levis, sed magni momenti. Glossa in cit. Auth. *Ut præponatur nomen imperatoris*. v. auctore; Covarruvias *Pract. Quæst.* cit. cap. xx, n. 2, asserens hanc sententiam in praxi esse receptam, et nunquam se vidisse hac de re ambigi.

Tertio, in instrumento publico debet apponi mensis ac dies anni Domini quo ea gesta sunt, quæ inferuntur instrumento. Glossa c. *Inter dilectos*. v. *Indictionis*. h. t. et alia Glossa in l. *Generalis*. v. *Servituti*. c. de *Tabulariis*. l. X; Speculator loc. cit. n. 7. et alii.

Quarto, debet addi Indictio, prout habetur cit. Auth. *Ut præponatur nomen imperatoris*.

collat. 5. ac notat Glossa cit. c. *Inter dilectos*. v. *Indictionis*. h. t. juncto textu ibid. dum inquit, quod in annotatione indictionis falsitas instrumenti facilius potuisset deprehendi. Covarruvias lib. I. *Variar. resolut.* cap. XII. n. 7; post Bartolum in l. *Si quis*. § *Si initium*. n. 12. ff. de *Edendo*. et Felinus cit. c. *Inter dilectos*. n. 12. h. t. dicens, ita fieri debere, nisi consuetudine id omissum fuerit.

22. *Indictionis nomine, quid intelligatur, et unde traxerit originem? Modus facillimus inveniendi indictionem cujuslibet anni.* — Porro indictio, sic dicta ab indicendo, est numerus annorum constans ex tribus lustris, seu ex quindecim annis. Glossa cit. c. *Inter dilectos*. v. *Indictionis*. h. t. Quibus peractis, iterum reditur ad unitatem: initiumque sumit qui libet annus hujus cycli indictionum a januario in bullis pontificiis, prout notatur circa initium Breviarii Romani tit. de *Indictione*. Originem autem hujus nominis *Indictionis*, tradit Glossa in Auth. *Ut præponatur nomen imperatoris*, etc. §. *Indictionis*. collat. 5. sequentibus verbis: quia (inquit) antiquitus Romani singulis quindecim annis recipiebant tributum de toto mundo: et erat in primo quinquennio ferrum, ut inde fierent arma militibus Romanis: secundo quinquennio argentum, ut inde haberent stipendia milites: tertio quinquennio aurum, quod in ærario reponebatur, ut tempore necessitatis pro republica Romanorum expenderetur. Unde adhuc hodie servamus cursum illorum trium lustrorum, scilicet horum quindecim annorum; et indictionem appellamus. Hæc Glossa loc. cit. subjungens modum facillimum inveniendi indictionem cujuslibet anni. Accipe (inquit) annos Domini, et eis addas tres annos; quia tertius annus Indictionis erat tempore Nativitatis Christi: deinde numerum annorum divide per quindecim, et semper, abjicias illa quindecim; et residuum, vel saltem ultimum quindecim, dabit Indictionem. Hæc breviter annotare placuit, quia Indictionum (vulgo, *Romer Zinss-Zahl*) frequens mentio fit in diplomatibus, bullis pontificiis, aliisque scripturis publicis.

23. *Instrumento publico debet inseri nomen Papæ, vel imperatoris, etc. An etiam nomen consulis?* — Quinto, instrumento publico debet inseri nomen Papæ, vel imperatoris, aut regis, in locis ipsius imperio subjectis, una cum anno papatus, seu imperii: et hoc est necessarium, juxta cit. Auth. *Ut præponatur nomen imperatoris*, etc. ac notat Abbas in d.



cap. i. n. 4. h. t. post Bartolum l. *Infames*. ff. de *Public. judic.* Et subjungit Abbas, utile esse, ut apponatur nomen utriusque, videlicet tam Papæ quam imperatoris, una cum at Imperii, seu papatus. Porro notaen concilii illius anni, olim quidem apponi debebat, juxta d. Auth. *Ut præponatur nomen*, etc. istud tamen hodie locum amplius non habet. Glossa can. *Quoties cordis*. l. q. 7. v. *Consulibus*.

24. *In eo debet exprimi locus in quo celebratur contractus in ipso expressus; et quidem locus particularis.* — Sexto, necessarium est, ut in instrumento publico exprimaturs locus, in quo celebratur contractus, sive actus ille, qui instrumento exprimitur. Glossa c. *Abbate sanc.* v. *Censeretur* juncto textu ibid. de *Sentent. et re judicat.* in 6.; Abbas cit. n. 3. Covarruvias *Pract. Quæst.* cap. xx. n. 3. Mascardus cit. quæst. 6. proem. n. 89. et 90. citans alios. Et quidem locus celebrationis actus debet in instrumento exprimi, non tantum in genere, v. g. dicendo ita esse actum, nimirum domus in qua actus ille gestus est: alioquin hujus omissio instrumentum labefactare posset, ob incertitudinem illam, quam haberet, si locus et tempus contracti instrumenti deficeret. Covarruvias cit. n. 3; Mascardus n. 90, allegans alios. Quinimo majoris securitatis gratia, solet etiam exprimi in instrumentis locus loci particularis; puta, hypocaustum ipsius domus: quamvis hoc ultimum non ita sit necessarium, ut notat Mascardus loc. cit. n. 91. post Bartolum, et alios communiter.

25. *Nomina etiam testium, qui interfuerunt actui, sunt instrumento publico inscribendi.* — Septimo, nomina testium, qui celebrationi actus, super quo fit instrumentum, interfuerunt, atque ad minimum duo requiruntur, etiam publico instrumento sunt inscribenda. Auth. de *Instrumentorum cautelis*. § *Sed etsi instrumenta*. collat. 6. Et solet quoque addi per tabellionem in instrumento, quod testes illi fuerint ad hoc vocati, et rogati: quamvis de jure istud non sit necessarium, demptis certis casibus. Speculator loc. cit. n. 10; Abbas cit. n. 3. vers. *An autem testes*. et alii.

26. *Testium tamen subscriptio non requiritur.* — Testium tamen subscriptio nequam requiritur ad instrumentum publicum, prout desumitur ex Auth. de *Instrumentorum cautelis*. § *Sed etsi instrumenta*. collat. 6. juncta Glossa v. *Compleatur*: ac notat Abbas d. cap. i. n. 3, h. t.; Covarruvias *Pract. Quæst.*

cap. xx, n. 4, citans alios: quidquid contradicat Glossa c. *Post cessionem*. v. *Litteras de Probat.* cum nonnullis aliis. Quamquam in hoc servandam esse consuetudinem locorum moneat Abbas loc. cit. Nec obsit, si testes se subscribant arg. c. *Cum inter*. 13. de *Sentent. et re judicat.* et l. *Contractus*. c. h. t.

27. *Ex parte notarii plura requiruntur ad validitatem instrumenti. Nempe, ut is legitime sit creatus, ac per se sciat actum, etc.* — Octavo, atque ex parte notarii, ad validitatem instrumenti plura requiruntur. I. Ut is legitime fuerit creatus: id est, ab habente potestatem publicus notarius constitutus. II. Notarius confecturus instrumentum, debet per se scire, atque interfuisse ipsi negotio de quo conficit instrumentum: ac proinde nihil aliud debet scribere, quam quod ipsemet propriis oculis vidit, atque præsens audivit; prout habetur Auth. de *Tabellionibus*. collat. 4. et cum aliis notat Speculator cit. tit. de *Instrumentorum editione*. § 1. 13; Menochius, lib. II. de *Arbitrar. judic.* cas. 144. n. 8, et Engel h. t., n. 7.

28. *Notarius debet subscribere nomen suum, addendo, qua auctoritate sit notarius.* — III. Notarius nomen suum subscribat propria manu, addendo qua auctoritate, an Cæsarea, vel pontificia, sit notarius: alias vitiabitur instrumentum. Auth. de *Instrument. cautel.* § *Sed etsi instrumenta*. collat. 6. juncta Glossa ibid. § *Adjiciatur*. Speculator cit. tit. de *Instrument.* edit. § 1. n. 11; Covarruvias d. cap. xx. n. 5; Mascardus, quæst. 6. proem. n. 91; Engel h. t., n. 14; et alii ab istis citati

29. *An etiam debeat addere signum sui notariatus? Narbonæ, et in quibusdam locis, hoc non fit.* — IV. Notarius debet addere signum sui notariatus, cit. Auth. de *Instrument. cautel.* § *Sed etsi instrumenta*. juncta Glossa § *Oportet*. et l. ult. c. de *assessorib.*; Covarruvias cit. n. 5. asserens hujus omissionem vitare instrumentum; Mascardus loc. cit. n. 92. post Bartolum in proem. ff. n. 6. et alios. Et quamvis Abbas cap. i. n. 3. vers. *Decimo requiritur*. h. t. et c. *Inter dilectos*. n. 3. et Felinus hic n. 5. vers. *Et advertte eod.* velit, quod solemnitas sigilli in instrumento manu publici notarii confecto non sit necessaria, nec defectus in eo noceat: atque etiam Speculator cit. tit. de *Instrument. edit.* § 1. n. 15. referat, quod in quibusdam locis, ut Narbonæ, tabelliones non ulantur aliquibus signis, sed solum de in instrumentis subscri-

bant: tamen illico hinc subjungit, quod circa istud sit standum consuetudini regionis, nihilominus utile sit, ac honestum, unumquemque notarium suum proprium habere signum. Addit Engel cit. n. 14. h. t. quod quamvis hoc signum non esset ne substantia instrumenti, ut vult Abbas, ubi supra, cum nonnullis aliis: tamen consuetudo ita passim invaluit, ut instrumentum illo signo carens, de falsitate suspectum habeatur.

30. *Notarius debet esse rogatus a partibus.* — V. Ad valorem instrumenti ex persona notarii requiritur, ut sit rogatus a partibus, Auth. de *Tabellionibus*. § 1. collat. 4. Atque ideo stylus communis habet, ut notarii in principio, vel fine instrumenti expriment, se fuisse rogatos.

31. *Is attendat, ut semper servet eandem formam subscriptionis.* — VI. Notarius attendat, atque in praxi sollicitus sit, quod semper servet eandem formam subscriptionis in uno instrumento, ac in aliis: ut cum opus fuerit, possit fieri comparatio instrumentorum per ipsum confectorum, arg. cit. de *Instrument. cautel.* juncta Glossa. § *Adjiciatur*. collat. 6.

32. *Dixit solemnitates in publicis instrumentis sunt servandæ; et cur? Omissio solemnitatis de consuetudine requisitæ vitiat instrumentum.* — Tandem sciendum, quod licet aliquæ ex dictis solemnitatibus de rigore juris non forent necessariae, dummodo alias non intervenit vitium; de consuetudine tamen tales solemnitates in publicis instrumentis adhiberi soleant et debeant: nam omissio solemnitatis de consuetudine requisitæ ita vitiat instrumentum, sicut omissio solemnitatis juris. Glossa in d. Auth. *Ut præponatur nomen imperatoris*. v. *Auctore*. Alexander consil. 166. n. 13. lib. V. Mascardus cit. quæst. 6. n. 93, allegans insuper Cravettam, consil. 216. et alios. Addit Engel h. t. n. 15. constitutionem Maximiliani imperatoris, in comitiis Coloniensibus anno 1512 promulgatam, in qua dictæ solemnitates in necessitatem legis translate videntur.

33. *Notarius, vel alius ad scribendum testamentum alienum vocatus, nequit sibi adscribere hæreditatem, aut legatum, sub pœna falsi.* — Caveat autem notarius, vel quicumque alius ad scribendum testamentum alienum vocatus, ne in tali testamento, vel codicillo, manu sua sibi hæreditatem, aut legatum adscribat: alioquin enim non solum privaretur tali legato, sed etiam incideret in pœnam falsi,

l. *Divus Claudius*. § 1. ff. *Ad leg. Cornel. de Falsis*. et l. *Quæ in testamento*, ac seqq. c. « de his, qui sibi adscribunt in testamento. » Hostiensis in *Summa*. tit. de *Falsis*. n. 5.; Julius Clarus in *Pract. crimin.* § *Falsum*, n. 34; Zoesius lib. XLVIII. ff. tit. *Ad leg. Cornel. de Falsis*. n. 17 et alii. Siquidem hæc res est jure prohibita, quia fraudi obnoxia: unde si testator quid velit relinquere notario, vel alteri testamentum scribenti, istud scribendum erit manu aliena, cit. l. *Divus Claudius*. § *fin.* ut sic evitetur fraudis suspicatio. Zoesius loc. cit. ubi n. 24, subjungit, quod serenissimi imperii principes edicto anni 1611, art. 14. vetuerint notariis, et iis qui funguntur notariorum vice, sibi quid adscribere, aut parentibus suis usque ad quartum gradum, secundum jus civile computandum. Verum de hoc plura doctores præallegati, et alii juris civilis interpretes.

## § II.

## DE FIDE PROTOCOLLI, ATQUE EXEMPLARIUM, SEU TRANSCRIPTORUM.

34. *Protocollum, quid? — Quæritur I. Quid sit protocollum, et quam vim probandi habeat? Resp. I. Protocollum est prima, seu originalis scriptura, in qua breviter a tabellione annotatur substantia actus gesti, ut deinde extendi et absolvi possit. Ita Calvinus in *Lexico juridico*. v. *Protocollum*; Spiegelius in *Lexico juris* eod. v. *Protocollum*, et alii. Et dicitur *Protocollum*, a græco verbo, *πρότος*, quod est *primum*, et *κόλλω*, quod est *collatio*, scilicet litterarum: quasi diceretur; *Protocollum*, est prima collatio litterarum in charta. Glossa in Auth. de *Tabellionibus*. v. *Protocollum*, collat. 4. Atque alio nomine dicitur, *Abbreviatura*. Mascardus de *Probat.* concl. 4. n. 1. et 5. Card. Tuschus litt. P. concl. 945. n. 1. illud appellans *Imbrevisaturam*, sive instrumentum notarii non extensum.*

35. *Dicitur etiam liber, in quo originalis scriptura instrumentorum continetur.* — Porro protocollum dicitur etiam liber, in quo prima matrix, seu originalis scriptura instrumentorum rogatorum describitur, habens generalem superscriptionem: « Hic est liber protocollorum mei, » etc. De quo fit mentio in cit. Auth. de *Tabellionibus*. § *Illud quoque*, juncta Glossa v. *Protocollum*. et notat Card. Tuschus loc. cit. n. 3. Quamvis de consuetu-